

P. OVIDII NASONIS
METAMORPHOSEON

LIBER I

Ad usum serenissimi Delphini

*Mens mea cupit can-
tare formas versas in
nova corpora. Dii
(nam vos quoque con-
vertistis illas) favete
meis ausis, & deduci-
te poema continuum
a primo exordio or-
bis ad meam etatem.*

In nova fert animus mutatas dicere formas

corpora. Dī, cęptis (nam Vōs mūtāstis et illās)
ACC.PL

adspirāte meis: primāque ab origine mundi

ad mea perpetuum dēducite tempora carmen. 🌱

FABULA I

*Mare & terra, & cę-
lum, quod involvit cę-
tera, fuerunt prius una
facies nature in mundo
universo, quam vocave-
runt Chaos; quę qui-
dem fuit massa crassa
& confusa, nec aliud
quam pondus ignavum,
& semina dissidentia
rerum male coheren-
tium in unum coacta.*

Ante mare et tellūs, et, quod tegit omnia, cęlum,
NEUT.ACC FEM.ACC NEUT.ACC

ūnus erat tōtō Nātūrę vultus in orbe,

quem dixere Chaos; rudis indigestaque mōles;
3PL

nec quicquam, nisi pondus iners; congestaque eōdem
ADV

nōn bene junctārum discordia sēmina rērum.

*Nullus Sol minificabat
adhuc lucem orbi;
nec Luna renovabat
nova cornua crescendo,*

*nec terra pendebat in
aere circumfluo su-
spensa sua gravitate;
nec mare extenderat
brachia, longa ter-
rarum extremitate:*

*Et qua parte fuit ter-
ra, ibidem et mare
et aer fuerunt. Eo
modo terra non erat
solida, nec aqua na-
tabilis aut fluida; aer
erat luce carens: nulli
sua forma constabat.*

*Atque se invicem
impediabant, quia in
eodem mole frigida
certabant cum calidis,
humida cum aridis;
mollia cum duris,
gravia cum levibus.*

Nullus adhuc mundō **præbēbat** lūmina **Titan**;

nec nova crescendō **reparābat** cornua **Phœbē**;

nec circumfūsō **pendēbat** in aere **tellūs**

ponderibus librāta suis: nec brachia longō

margine terrārum **porrexērāt** **Āmphitrītē**.
3S.PLUP

Quāque **fuit** **tellūs**, illic et **pontus** et **āēr**:

sic **erat** instabilis **tellūs**, innābilis **unda**,

lūcis egens **āēr**. Nulli sua **forma manēbat**.
DAT.SG NOM.SG

Obstābatque aliīs aliud: quia corpore in ūnō

frīgida pugnābant calidīs, hūmentia siccīs,

mollia cum dūrīs, sine pondere **habentia** pondus.

Deus et æquior natura, composuit hanc discordiam. Separavit enim terram a cælo, et aquam a terra, et sejunxit ætherem puriorem ab aere crasso. Quæ postquam expedit, et extraxit obscura congerie, ea locis suis distincta et separata amice composuit.

Ignæ impetus convexi cæli & sine gravitate exiliit, & sibi elegit sedem in parte suprema.

Ær est illi proximus levitate & sede. Terra est spissior istis, & sumpsit principia crassiora: et depressa est suo pondere. Aqua circumfusa ultimam sedem obtinuit, et continuit durum terrarum orbem.

Hanc **Deus**, et melior **litem** **Natura** **dirēmit**.
F.ACC.SG
 Nam **cælō** **terrās**, et **terrīs** **abscedit** **undās**:
ABL.PL
 et liquidum **spissō** **sēcrēvit** ab **āere** **cælum**.
 Quæ postquam **ēvolvit**, **cæcōque** **exēmit** **acervō**,
F.NOM.SG
 dissociāta **locīs** **concordī** **pāce** **ligāvit**.

Ignæ convexi **vīs** et sine pondere cæli
ēmicit, summāque **locum** sibi **lēgit** in arce.

Proximus **est** **ær** illi levitate, locōque:
 densior **hīs** **tellūs**: elementaque grandia **traxit**;
 et **pressa** **est** gravitate suī. Circumfluus **hūmor**
 ultima **possēdit**, solidumque **coercuit** orbem. ☺

FABULA II

Postquam Deorum aliquis (quicumq; is fuit) eo modo divisit et ordinavit acervum, et divisum in partes reduxit, primo rotundavit terram in modum ingentis globi, ne non esset aequalis ab omni parte.

Deinde imperavit maria diffluere, et turgescere ventis praecipitibus, et circumcingere oras telluris circumdatae.

Adjecit etiam scaturigines, et vasta stagna, et lacus; et repressit amnes defluentes ripis sinuosis: qui quidem sedibus dissiti partim absorbentur ab ipsa terra; partim in mare devolvuntur, & recepti aequore liberiori, pro ripis obstrepunt littoribus.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum
congeriem secuit, sectamque in membra redēgit;
principiō terram, nē nōn aequalis ab omnī
parte foret, magnī speciem glomerāvit in orbis.

Tum freta diffundī, rapidisque tumescere ventīs
jussit, & ambītā circumdare littora terrā.

Addidit & fontēs immensaue stagna lacūsque;
flūminaque obliquīs cinxit dēclivia rīpis:
quæ diversa locīs partim sorbentur ab ipsā;
in mare perveniunt partim, campōque recepta
liberiōris aquæ, prō rīpis littora pulsant.

N.ACC.PL

Imperavit etiam planiciem porrigi, valles ima petere, nemora vestiri foliis, montes saxosos eminere.

Jussit & extendi campōs, subsidere vallēs,
PASS.INF
fronde tegi silvās, lapidōsōs surgere montēs.

Et sicuti duo cingula dividunt cælum à dextra parte, & totidem à sinistra, quintum est fervidius illis, ita Dei providentia divisit molem inclusam pari numero; & totidem terre tractus urgentur.

Utque duæ dextrā cælum, totidemque sinistrā
parte **secant** Zōnæ, **quinta est** ardentior illis;
sīc onus inclūsum numerō **distinxit** eōdem
N.ACC.SG
cūra Deī: totidemquē **plagæ** tellūre **premuntur**.

Quorum qui medius est, non potest colli propter ardores: nives cumulati tegunt duos: posuit totidem inter utrumque: & temperavit calore cum frigore conjuncto.

Quārum **quæ** mediā **est**, nōn **est** habitābilis æstū:
nix **tegit** alta duās: totidem inter ūtramque **locāvit**;
temperiemque **dedit** miſtā cum frīgore **flammā**.

Aer imminet istis, qui tanto est gravior igne, quanto gravitas aque est minor gravitatis terre.

Imminet hīs **āer**, **quī**, **quantō est** pondere terræ
pondus aquæ levius, **tantō est** onerōsior ignī.
ABL.SG

*Voluit etiam nu-
bes & nebulas illic
locum habere, & to-
nitrua concussura
mentes hominum,
fulminaque & ven-
tos procreantes frigus.*

Illic & nebulās, illic consistere nūbēs
jussit, & hūmānās mōtūra tonitrua mentēs,
et cum fulminibus facientēs frīgora ventōs.

*Atque orbis conditor
non illis dedit aerem
passim pro libitu pos-
sidendum. Aegre jam
illis resistitur, quan-
quam singuli mode-
rentur suos flatus alia
plaga, quo minus or-
bem discerpant, tanta
est fratrum dissensio.*

Hīs quoq; nōn passim mundī fābri cātor habendum
Āera permīsit. Vix nunc obsistitur illīs,
cum sua quisq; regant dīversō flāmina tractū,
quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.

*Subsolanus profugit ad
Auroram & regionem
Nabathæam & Per-
fidem, & montes sub-
jectos radiis matutinis.*

Eurus ad Aurōram, Nabathæaq; regna recessit,
Perfidaque, & radiis juga subditā matutinis.